

## DE INTERDICTIS.

### 8.1.1

*Imp. Alexander A. Apro evocato.*

Cum proponas radicibus arborum in vicina Agathangeli area positis crescentibus fundamentis domus tuae periculum adferri, praeses ad exemplum interdictorum, quae in albo proposita habet: ‘si arbor in alienas aedes impendebit’, item: ‘si arbor in alienum agrum impendebit’ quibus ostenditur ne per arboris quidem occasionem vicino nocere oportere, rem ad suam aequitatem rediget.

*PP. VII k. April. Iuliano et Crispino cons.* [a. 224]

### 8.1.2

*Imp. Valerianus et Gallienus AA. Messiae.*

Praeses provinciae in eum, qui eiusdem provinciae non est, nec ex interdicto potest cognoscere.

*PP. VII k. Mai. Saeculare et Donato cons.* [a. 260]

### 8.1.3

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Pompeiano.*

Incerti iuris non est orta proprietatis et possessionis lite prius possessionis decidi oportere quaestionem competentibus actionibus, ut ex hoc ordine facto, de domini disceptatione probationes ab eo qui de possessione victus est exigantur. interdicta autem licet in extraordinariis iudiciis proprie locum non habent, tamen ad exemplum eorum res agitur.

*Subscripta V k. Ian. Sirmi AA. cons.* [a. 293]

### 8.1.4

*Imp. Arcadius et Honorius AA. Aemiliano pu.*

Si quis quodlibet interdictum efflagitet, ruptis veteribus ambagibus inter ipsa cognitionum auspicia rationem exprimere ac suas adlegationes iubeatur proponere.

*D. XIII k. Aug. Constantinopoli Arcadio A. VI et Probo cons.* [a. 406]